



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Incitamenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput IV. [i.e. VI.] De perseverantia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55553)

CAPUT VI.

DE
PERSEVERANTIA.

NULLUS dubito, quin hæcenus explicata coelestium deliciarum infinitas, æternitasque non tantum ingens in nobis illius gloriæ desiderium excitarit; sed insuper ad procurandam pietatem solidam, utpote quæ illuc manu ducit, nos vehementer incitarit. Ut autem utroque hoc thesauro, nempe & probitatis soliditate & cœli beatitate, securi potiamur, perseverantia opus est; nam solus ille, *qui perseveraverit usque ad finem, hic perfectus, hic salvus erit.* (a) Hæc enim felix, illud beatæ electionis signum & electorum nota est: hæc omnium virtutum anima, proprius character, lapis Lydius, & victrix corona est, sine quæ illæ nec pretium habent nec meritum.

Tan-

(a) Matth. 10, v. 22,

Tanta ergo constantiæ in bono cùm necessitas sit ad perfectionem & beatitudinem consequendam, pro coronide hujus operis ob oculos ponam I. stabilitatis decora, II. instabilitatis dispendia, ut amborum consideratione fortiter impellamur ad sanctitatem non solum aliquamdiu sed perseveranter sectandam.

§. I.

Perseverantiae decora.

I. **P**Rima prerogativa, qua perseverantes in bono justis ab aliis lunæ æmulis æronibus distinguuntur, in eo consistit, quod vivi adhuc eleventur ad statum similem illi, quo olim post extremum judicii diem reviviscentes beabimur; utpote ubi immutabili felicitate eundem perpetuò vitæ & fortis cursum tenebimus. Nam etiam illi, qui in probitate constantes sunt, omni lunatica morum vicissitudine superiores, in æquabili semper justitiæ libra perenne solstitium celebrant,

I.
Nos similes facit
Beatis ipsique Deo

lebrant, & amandato inconstantia aprili, stabili gaudent vere.

Præterea tales per hanc virtutem quodammodo participes fiunt ipsius immutabilitatis DEI; cum etiam apud ipsos, licet dissimili beatitate, non sit *transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*. (b) Quamvis enim aliàs teste Hussæo Vate *inter Sanctas nemo immutabilis sit*, (c) & homo natura sua *nunquam in eodem statu permaneat*; (d) tamen perseverantiæ adminiculo ad aliquam stabilitatis divinæ similitudinem sublimatur. Ex quo virtutis hujus eminentem præstantiam colligere licet, utpote quæ nos Beatis, gloriosa carne amictis, nec non ipsi Supremo Numini aliqua ratione similes reddit; & quæ propterea eò potentiùs ad sui amorem nos incitat, quò altiùs ea suos asseclas elevat.

II.
Firmam
spem tri-

II. Altera laudatæ hæctenus firmitatis dos est, quòd nostræ ad æternam beati-

(b) Jac. i. v. 17. (c) Job. 15. v. 15.
(d) Job. 14. v. 2.

beatitudinem electionis signum minùs ^{buit perse-}
dubium sit. Fatentur quidem Theo- ^{verantia}
logi hac in vita quædam numerari ^{finalis.}
indicia, per quæ cognosci, vel saltem
conjici possit, quinam mortalium sint
electorum albo inferendi, & cœlesti
gloriæ asserendi; sed tamen iidem una-
nimi quoque consensu testantur, ple-
raque hæc signa esse æquivoca, errori-
que obnoxia; cùm non rarò fallant.
Nihilominus has inter notas siqua est,
cui certiozem habere fidem liceat, ex
eorum sententiâ hæc, de qua agimus,
praviam in bono perseverantia est. Hæc
enim vaticinio omine & prodromo-
nifu jam nunc incipit in nobis expri-
mere illum felicem æternæ immuta-
bilitatis statum, quæ infinitæ beatitati
adeò naturalis & propria est.

Imò hoc ipso, quod constanti quis
gressu Solymam versùs incedere per-
gat, præfaga spe solari se potest, se
randem etiam beatæ illius civitatis in-
colam fore. Patres enim, cùm de
prædestinatione seu de divino salutem
nostram decernente decreto disserunt,

eam nobis exhibent tanquam catenam ex pluribus infertis invicem annulis compositam. Ex parte cœli catena hæc series est gratiarum, quas electis suis præparavit DEUS, & queis illos liberè quidem, certissimè tamen ad gloriam perducit. Ex parte hominis catena hæc est continuatio plurimorum actuum, per quos his auxiliis fideli annutu consentimus.

Omnes hi assensus sunt præviæ hujus, de qua loquimur, perseverantiæ actus, quorum extremus, ad quem reliqui omnes referuntur, felicem illam finalem perseverantiam constituit; & qui, quia ultimus est, reliquis omnibus coronidem imponit. Sicut ergo ille, qui priores catenæ annulos avida manu arripit, sibi jure de attrahendo etiam ultimo blandiri potest; ita pariter ille, qui per vitæ cursum in exercendis piis operibus constans perseveraverit, meritò sperare valet, se etiam sub mortem firmum in eorum exercitio permansurum; cum continua virtutum praxis optima ani-
mi

mi comparatio ad consequendam beatitudinem æternam, ejusque probabilissimum pignus fit.

Huic ipsi fundamento nixus, vas electionis Paulus paratam justis gloriam certo sibi augurio ominabatur, dum de rei eventu securus intrepidè affirmavit: *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* (e) Licèt enim alibi *se omnium abortivum* esse, (f) & *peccatorum primum* (g) enunciavit; tamen morti proximior nil hæsitans asseverat: *Dominus salvum me faciet in regnum suum cæleste.* (h)

Scilicet stabilitas in pietate per plures jam vitæ annos continuata, hujus fiducia firmamentum erat. *Bonum certamen certavi, ajebat, cursum consummavi, fidem servavi;* (i) id conscientia fidei vadimonio testatur. Ex hac autem diuturniore virtutum exer-

C c 5

cita-

(e) 2. Timoth. 4. v. 8. (f) 1. Cor. 15. v. 8.
 (g) 1. Tim. 1. v. 15. (h) 2. Timoth. 4. v. 18.
 (i) 2. Tim. 4. v. 7.

citatione spe plenus inferebat : ergo etiam finali perseverantia à divina largitate donabor : *reposita est mihi corona justitiæ.* Adeò certum nempe constantia hæc ac indubitatum Apostolo beatæ electionis prognosticon erat. Quo autem stimulo salutis cupida mens efficacius impelli possit ad sanctitudinis callem constanter premedum, quàm ipso hoc præfago æternæ felicitatis indicio ?

III.
*Virtutes
reliquas
perficit, &
coronat.*

III. Tertium denique decus, quo excellens hæc firmitas eminet, in eo consistit, quòd ea omnibus aliis virtutibus pretium addat, earundem meritum augeat, illasque ad perfectionem perducatur. Desumpta ex Hypponensi Præsule doctrina hæc est, dicente : *non est magnum inchoare, quod bonum est ; sed consummare, hoc solum perfectum est.* (1) Huic opinioni suffragatur Hispalensis Ecclesiæ lumen Isidorus, ita disserens : *non est beatus, qui bonum facit ; sed qui incessabiliter facit.*

(m)

(1) Serm. Super Psal. 51.

(m) *Non quærentur in christianis ini-
tia, (prosequitur Hieronymus) sed finis
& perseverantia. Paulus malè cœpit,
sed bene finivit. Judæ laudantur ini-
tia, sed finis proditione damnatur. (n)
Non enim cœpisse, sed permansisse virtu-
tis est. (o) ita sentit Hieronymus.*
Ex his patet, ex mente Patrum so-
lam constantiam probas actiones per-
ficere, eisque meriti coronidem im-
ponere.

Verum quidem est, quòd cuilibet
pio actui suus gloriæ gradus respon-
deat; sed hic non nisi perseveranti
confertur. Equidem *omnes virtutes
currunt, (ait Petrus Blessensis) sed una
perseverantia coronatur. (p) Omnes
quidem virtutes (Bonaventuræ oracu-
lum est) coronam merentur, sed sola per-
severantia coronatur. (q) Inde illius
pretium ac excellentem præstantiam
colligas, velim.*

IV.

(m) Lib. 2. de Synonym. (n) Contra Jovi-
nian. Item in epist. ad Furiam. (o) Epist. ad
Vitalem. (p) Epist. 22. (q) Diætæ c. 2.

IV.
Imò ipsa
est singu-
laris vir-
tus.

IV. Præterea hæc animi firmitudo non est tantum complementum, perfectio, & anima omnium aliarum virtutum ac conditio, sine qua nulla earum æterna mercede donabitur; sed insuper ipsa quoque *specialis* ab aliis distincta *virtus est*, (Aquinatis verba sunt) *per quam homo in honestis operibus persistit, quantum necesse est.* (r) Nam ex mente S. Doctoris ubi occurrit *specialis ratio difficultatis, ibi est specialis virtus.* Jam autem diu *insistere alicui difficili, specialem habet difficultatem.* Ideo diu *persistere in aliquo bono usque ad ejus consummationem, pertinet ad specialem virtutem.*

Ergo cum in sanctarum operationum exercitatione ipsa exercitii diurnitas & laboris continuatio singularem quandam valdeque magnam sibi annexam habeat difficultatem, singulari quoque opus est virtute, qua roborati superandæ huic molestiæ reddamur idonei. Talis ergo cum prodroma hæc perseverantia sit, etiam
cuili-

(r) 2. 2. q. 137. a. 1. in C.

cuiuslibet, quam ordinat, actioni peculiare meritum tribuit, distinctum ab eo, quod aliis, quas comitatur, & animat, virtutibus debetur. Ex quo illius summè proficua excelsitas luculenter elucet.

V. Accedit, quòd consummatum redemptionis nostræ opus in acceptis referendum sit invictæ illi constantiæ, qua divinus Salvator triginta trium annorum spatio innumeros labores, inauditos cruciatus ac ærumnas perpessus est; quin tot miseriarum vel magnitudo vel diuturnitas illum ab incepto deterruerint; ita quidem, ut verè æterno Patri pridie mortis suæ dicere potuerit: *opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; (s)* & in cruce positus exclamare: *consummatum est.* (t) Licèt enim Scribæ & Pharisæi, ut inde descenderet, eundem incitarent; seque in eum tunc credituros promiserint; tamen immotus perstitit, blanda hæc invitamenta promissaque neglexit, & atrocissima inter tormenta

V.
Illi debetur redemptio-
nis nostræ consum-
matio.

(s) Joan. 17. v. 4. (t) Joan. 19. v. 30.

menta tamdiu duravit, donec omnium victorem emisit spiritum.

Exinde præstantissima hujus virtutis decora æstimare licet, quæ profectò tanta sunt, ut summè vecordem esse oporteat illum, qui, neglectis tot stimulis, *respiciens retro, manum ab aratro retrahit*, (u) & electam perfectionis semitam perfido pede profugus deserit. Tu igitur ô immutabile Numen! fige, quæso, inconstantis animi levitatem, & pietatis desertionem improvidè meditantem, victricis gratiæ adminiculo viæ sanctitatis ita affige, ut inde eum *nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius* (x) unquam separet, avellatque.

§. II.

Inconstantie dispendia.

I.
Omni eti-
am priori
merito
privat.

I. **E**Narratis, quæ constantia eminent, prærogativis, proferenda in apurum pariter sunt ea, quæ ex men-

(u) Luc, 9. v. 62. (x) Rom, 8. v. 35.

mentis mobilitate tanquam Lernæo ex fonte scaturiunt, damna. Primum est, quod vacillans hæc instabilitas (lethalis si sit) omni acquisito prius merito inconstantem exuat, spolietque. Id docet S. Basilius, dicens: *nullum sunt insumptæ semel opera pretium relaturi, qui non ad legitimum usque finem duraverint.* (a) Consentit Abbas Claravallensis, *absque perseverantia, inquit, nec, qui pugnat, victoriam: nec palmam victor consequitur.* (b) Si Maria Magdalena à monumento Domini, discipulis recedentibus, etiam ipsa recessisset, Christum à mortuis redivivum tunc nec ipsa vidisset. Sed, quia constans remansit, prima eundem conspiceret meruit.

Bonum quidem est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua; (c) sed felicitatis cumulus est, si continenter illud ad extremum usque spiritum gesserit. Nequicquam operarii illi, qui omnium primi ad vincam accessere,
pon-

(a) Ad Chilonem discipulum. (b) Epist. 129.
(c) Thren. 3. v. 27.

pondus diei & æstus sustinuissent, nisi usque ad solis occasum perseverassent. Viatoris Tobiae labor inutilis fuisset, nisi continuato itinere tandem ad viæ terminum pervenisset. Frustra Mattheus telonium, Andreas retia, Joannes patrem reliquissent, nisi postea Jesum constanter secuti, imò & afsecuti fuissent. *Nil enim prodest Christum sequi, ait S. Bernardus, si non contingat & consequi.* (d)

Nempe citra perseverantiam quidquid boni patratur, quidquid afflictationum assumitur, quidquid injuriarum toleratur, id omne frustraneum omnino, inutile & cassum est. Sine stabilitate enim nihil fructuosum, perfectum nihil, nihil completum est. Hæc sola bonis operibus coronam imponit; per hanc solam ad stadii metam pervenimus, bravium cursusque præmium relaturi.

Licet quis omnes suas opes cum Antonio pauperibus erogaret; licet cum Guilielmo ciliciis flagrisque corpus

(d) Epist. 252. ad Guericum Abbatem.

pus suum dirè dilaniaret; licèt omnes suos artus cum Hilarione perenni jejunio emaciaret; quamvis denique solus ea omnia tormentorum genera exantlaret, quibus omnes simul Martyres tyrannorum jussu affecti fuerunt. nihilominus si eum per summam infelicitatem sub extremum vitæ spiritum constantia desereret; hæc omnia misero ad æternam salutem nec hilum prodesse. Et hoc fidei dogma est.

Et tandem quosnam ergo divinus Servator salvandos pronuntiavit? num qui certârunt? haud ita sanè; nam plurimi multo tempore certarunt, qui nihilominus modò stygiis ignibus torquentur. num qui cucurrerunt? ne hi quidem; multi enim in virtutis stadio cucurrerunt, sed quia currendo defecerunt, laurea spoliati æternùm interierunt. num qui fidem habuerunt? nequaquam; innumeri fidem habuerunt, qui tamen tartaro in spoliū cesserunt. Quis igitur electorum numero inferetur?

O DEUS veritatis! aperi nobis magnum hoc tuæ æquitatis mysterium! Audite ergo ô mortales! divinumque oraculum attenti percipite: *qui perseveraverit, (ait Dominus) qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (e)* Ita est, inquit Eusebius Emiffenus: *spes omnes nostræ in consummatione atque fine consistunt. (f)* Inconstantia omni acquisito etiam prius merito privat.

O igitur horrendum ac irreparabile, quod instabilitas affert, præmii dispendium! Quid enim confert plurimum in Indiis aurum collegisse, si inde redux illius in portu jacturam subeas? *Quid mihi prodest, (lamentari pergit Eusebius) si sata viridantia herbis spem messis ostenderint; si dein me sub ipso falcis tempore subita vel æris intemperie vel pluviarum inundatione decipiant? (g)*

Quid prodest modò Salomoni & Tertulliano tam læta sanctitatis aurora

(e) Matth. 10. v. 22. (f) Homil. 5. ad Monach.
(g) Ibidem.

râ orbem irradiasse ; cùm vitæ occa-
 sum tam fœda eclipsi obscurarint ?
 Quid modò juvat illum militem ex
 numero illorum quadraginta athleta-
 rum (quorum solemnis dies decima
 Martii celebratur) quid , inquam ,
 hunc juvat diu cum sociis in ob-
 ducto glacie lacu martyrium sustinu-
 isse ; cùm postea moribundus sacra
 ejurârit , sicque sempiternum perierit ?
 Quid confert illis duobus in Japonia
 Christianis per plures horas lento ig-
 ne pro vera fide assatos fuisse ; cùm
 tamen paulò post ab ea defecerint ,
 denuoq̃ue in flammâ à tyrannò con-
 jecti , ut religionis desertores cremati
 fuerint , qui ejusdem poenæ impen-
 dio ut martyres mori poterant ? Nem-
 pe verissima est Gregorii Magni sen-
 tentia : *incassum bonum agitur , si ante
 vitæ terminum deseratur ; quia frustra
 velociter currit , qui , priusquam ad me-
 tas venerit , deficit ;* (h) cùm incon-
 stantia ferox ille prædator sit , qui nos
 omni etiam priori merito exuit.

II.
*Ad dam-
 nationem
 disponit.*

II. At verò, quod calamitatis caput est, non solum hæc pestis nos omni bonorum cumulo privat; sed insuper etiam malorum omnium centro sensim proximos efficit. Nam ad hanc sub mortem tam noxiam in bono instabilitatem potenter disponit vacillans continuò per vitæ cursum mobilitas animi. Quid enim? an illa nostra inter bonum & malum, inter teporem & fervorem perpetuò alternans varietas perseverantiæ finalis securam nobis spem facere possit? An non potius plurima timendi ratio subest, ne, qui divinæ gratiæ semper infideles viximus, eidem quoque perfidi & rebelles moriamur?

Et hoc est terribile illud ac principale, quod illa nostra in percurrenda perfectionis semita inconstans levitas affert, malum; nempe quòd hominem sensim disponat ad tristem illam funestamque infidelitatem, quæ æternam à DEO separationem inducit. Sicut enim stabilis illa in pietate firmitas nos perducit ad felicem
 illam

illam in perseverantia finali stabilitatem; ita quoque alternans illa in bono mobilitas nos conducit ad illam finalem inconstantiam, quæ supremum hominis infortunium est; cum maximi omnium mali infelix origo sit. O Domine! *qui semper idem ipse es*, (i) ne permittas me adnumerari *inter illa sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.* (1) Potius da, ut & ego sim ex numero illorum, quos secundum Joannis vaticinium in perseverantiæ præmium olim *facies columnas in domo DEI.* (m)

III. Sed ponamus, finalem illam ac supremam instabilitatem pedissequo nexu non semper subsequi desultoriam hanc nostram in virtutum exercitio mutabilitatem; tamen certum est, quod hæc plurimum augeat, & aggravet susceptum in sanctitatis tramite laborem. Nam ejusmodi homines similes sunt navigantibus ad-

III.
Laborem
in via virtutis
subeundum
auget.

D d 3

verso

(i) Psal. 101. v. 28. (1) Epist. Judæ v, 13.
(m) Apoc, 3. v. 12.

verso amne contra alvei torrentem, suamque navim magno nisu contra totam aquarum molem propellentibus; hi enim si viribus fracti, fessas manus à remo vel brevi tempore amoveant, mox secundo flumine abrepti, horæ spatio longiùs retroagentur, quàm diurni conatùs impendio sunt progressi. Sisyphi saxum volvunt, quod, si à conamine vel minimùm remittatur, proprio mox pondere ad ima ruet, unde tanto cum sudore in sublime provolutam fuit; non solùm cum omnimoda impenasæ priùs operæ jactura, sed etiam cum ingenti ejusdem augmento; cùm abrupta temerè tela sit denuo pertexenda, & prior omnis contentio repetenda. Scilicet verissima est illa Ecclesiastici sententia: *unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis nisi labor?* (n) Si hodierno tepore iterum destruas, quod hesterno fervore ædificasti; si crastina levitate iterum evellas, quod pridiana pietate plantasti, quem
alium

(n) Eccli. 34. v. 28.

alium inde referes fructum, nisi laborem duplicatum?

Accedit, quòd hæc inconstantia pios habitus hætenus acquisitos iterum deleat, vel saltem vehementer infirmet; aut, si tales habitus comparati necdum sint, omnem vim eos adipiscendi infringat; quin imò vitiosos insuper inducat, sepultosque iterum suscitet, & quasi gliscentes sub cinere flammæ denuo animet, inflammetque. Unde fit, ut ad solidam virtutem à tali nunquam perveniatur: ut cum longè majori difficultate nunc in opus deducatur, quod tamen antea cum aliqua facilitate executioni mandabatur: ut cura omnis medica spiritalis aut difficillima reddatur, aut desperata omnino & nulla evadat.

Verbò: vacillans hæc & perpetuò alternans bonum inter & malum claudicatio, parta jam & obtenta, iterum destruit, superatas jam in exercitio pietatis difficultates rursus instau-

rat, omnemque consequendam perfectionis spem penitus adimit, abscinditque. Imò sicut ille, qui priorem in morbum sæpius recidit, conclamata valetudine ad mortis confinia perducitur; ita etiam ille, qui à coep-
to fervore remittens, torpido languore retro se abripi sinit, animam totam morbidam reddit, ineptamque efficit recipiendis illis specialibus gratiis, quibus destitutos vis Satanae horrendum infestat, totoque nisu in ruina-
nam impellit. ita ut verum dicat Laurentius Justinianus, dum asserit: *velociori gressu, quam ascenderunt, tales descendere, & fieri eorum novissima pejora prioribus; meliusque illas fuisse, viam veritatis non agnovisse, & virtutum arduum iter non initiasse, quam post agnitum, & inchoatum retrorsum ivisse.* (o) O magnum & omnis vicissitudinis expers Numen! quis tam leviculam in bono mobilitatem, utpote tot malorum originem, non summo horrore execretur?

 IV. Præ-

 (o) L. de obed. cap. 21.

IV. Præcipuè cùm hæc desultoria
 instabilitas nos Superum, hominum, IV.
 Omnium
 ludibrio
 exponit
 & dæmonum contemptui ac ludibrio
 exponat. Nam imprimis ipse Spiritus
 Sanctus inconstantem ejusmodi ac ver-
 tiginosum hominem appellat lunati-
 cum & stultum, dicens: *stultus sicut
 luna mutatur.* (p) Ipsi etiam æquales
 nostri ejusmodi Vertumnos despectui
 habent, pia eorum decreta risu ex-
 cipiunt, eosque *sanctis menstruis, tem-
 porariis Christianis, justis titubantibus*
 cum divo Prospero annumerant.

Quid? quod ipse dæmon à talium
 propositis sibi æquè parum ac cautes
 à maris spuma timeat. dum enim
 ejusmodi Prothei optima quæque sta-
 tuunt; dum vitiis interneccionem mi-
 nantur, virtutisque culmini volatica
 pietate jam jam imminent; is in an-
 gulo quietus ridet, bene gnarus, pau-
 lò post horarium hunc sanctum anti-
 quam defectuum sylvam repetiturum.
 Nempe (ut bene observat Bernardus)
diabolus soli perseverantiæ invidet, ut-

D d s

pote

pote quam solam novit à Domino coronari. (q)

O insensatos igitur illos, qui, postquam portarunt pondus diei & aestus; (r) postquam multo tempore æmulo vigore in stadio cucurrerunt; (s) postquam diu & fortiter cum antiquo serpente (t) decertarunt, tandem præcoci lassitudine correpti, vineam deserunt, circo excedunt, clypeum abjiciunt; idque agunt sub ipsum diei crepusculum, bravio proximi, victoria laurea jam jam coronandi. Qui, postquam euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, paulò ante messem pigra manu falcem suspendunt; cum tamen, si paulillum durassent, venientes venissent, portantes manipulos suos. (u)

O leviculi! sic stulti estis, ut, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummini? (x) Ut, postquam tantos labores

(q) Epist. 129. (r) Matth. 20. v. 12.
 (s) 1. Cor. 9. v. 24. (t) Apoc. 12. v. 9.
 (u) Psal. 125. v. 6. (x) Gal. 3. v. 3.

bores exantlastis, tam varia tamque dura passi estis, tot triumphos à multiplici hoste retulistis; nunc uno vel altero gradu à meta distantes, mentis mobilitate victi, turpiter succumbatis? Quis dementem hanc priorisque lucri tam prodigam levitatem non deploret? imò quis non *incipiat illudere eis*, dicendo: *hi cœperunt adificare, & non poterant consummare?* (y)

Itaque *Fratres mei dilecti* (Apostoli monitum est) prateritorum rubore suffusi, in concepto semel sanctioris vitæ proposito *stabiles estote & immobiles, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* (z) in electo virtutis stadio *sic currite, ut bravium comprehendatis;* (aa) in generosa, quam ingressi estis, pugnae arena sic dimicete, ut inimicos debelletis; *non enim coronatur, nisi qui legitime certaverit;* (bb) legitime autem non certat, qui pugnando in acie non perseverat.

Pro-

(y) Luc. 14. v. 30. (z) 1. Cor. 15. v. 58.
 (aa) 1. Cor. 9. v. 24. (bb) 2. Tim. 2. v. 5.

Proin estote firmi in via Domini, (cc)
 ac in ejus disciplina perseverate. (dd)
 ne fatigemini animis vestris deficientes;
 (ee) ne perdatis, quæ operati estis; sed
 ut mercedem plenam accipiat. (ff)

Sit itaque ô Pater sancte! *justifica-*
tionem meam, quam cæpi tenere, non
deseram; donec superest habitus in me,
non recedam ab ea. (gg) In perfectio-
nis studio ero fidelis usque ad mortem,
ut & mihi detur corona vite. (hh)
Perseverantiæ decora, inconstantia di-
spendia geminum mihi incitamentum
erunt, inita virtutis semitâ nunquam
excedendi. Confirma me Domine DEUS
Israël, ut, quod credens per te posse fieri
cogitavi, perficiam. (ii)

(cc) Eccli. 5. v. 12. (dd) Hebræ. 12. v. 7.
 (ee) Ibid. v. 3. (ff) 2. Joan. v. 8.
 (gg) Job. 27. v. 3. & seq. (hh) Apoc. 2.
 v. 10. (ii) Judith. 13. v. 7.



§. III.

Inconstantia remedia.

UT conceptum in bono perseverandi propositum eò certius persistat inconcussum, suggerenda sunt quædam remedia, quibus innata mentibus nostris mobilitas veluti clavo figatur; asperitas verò illa & arduitas, quæ perfectionis callem adeò difficilem reddunt, vel tollatur omnino, vel saltem mitigetur. Horum autem præcipuè tria numerantur, nempe 1. incitamentorum suprà allatorum crebra consideratio. 2. cum DEO assidua communicatio. 3. difficultatum sagax provisio & efficax contemptus,

I. Primum ergo persuadendæ nobis constantiæ subsidium est crebra consideratio tum bonorum, queis perseverantes coronantur; tum malorum, queis inconstantes puniuntur; uti & illorum incitamentorum, quibus hucusque ad sectandam virtutem solidam Lectorem animavi. Nam (quod Philo-

I.
Allato-
rum hac-
tenus inci-
tamento-
rum cre-
bra confi-
deratio.

Philosophorum axioma est) per quæ quid crescit, per eadem & conservatur; adeoque per illas ipsas rationes, per quas sanctitatis & perseverantiæ desiderium in animis nostris hæctenus fuit excitatum, per has, inquam, idem quoque foveri, ac nutriri oportet.

Cùm enim eorum movendi vis eundem semper vigorem retineat; cùm eadem hodie, quæ heri, virtutis amabilitas, excellentia ac utilitas sit; cùm idem semper sit DEUS, cuius majestatis infinitudo ac eminentiæ excellentia eodem semper cultu & amore dignissima sit; hæc, inquam, cùm ita sint, non potest non eorum frequens recordatio ac pia meditatio succensi fervoris flammam conservare.

Præcipuè si insuper attentius perpendantur exempla eorum, qui vel ob inconstantiam perierunt, vel propter suam in bono stabilitatem sanctitudinis lauream promeruerunt. Certe si Saulem, Judam, Origenem per-

seve-

severantia non destitisset, ille modò inter Sanctos Israël Reges, iste duodecim inter Apostolos, hic divos inter Ecclesiæ Patres tanquam gloriosa primæ magnitudinis astra radiarent; qui modò, quia cœptam virtutis semitam leves transfugæ deseruerunt, in reproborum massa abjecti delitescunt.

O quàm sublimi in throno modò fulgeret ille propheta, quem DEUS ad Jeroboam in Bethel miserat cum præcepto, *ne comederet panem, nec biberet aquam in loco isto, nec revertetur per viam, per quam venerat; (a) si eadem, quæ cœpit, animi firmitate imposita sibi mandata expleset.* Nam initio nulla regis habita ratione audacter *exclamavit contra altare in sermone Domini: oblata sibi ab eodem munera rejecit: regium, ad quod vocabatur, convivium recusavit: omni cibo & potu diutissimè abstinuit: etiam per aliam, ut jussus fuerat, viam ad suos rediit.* O quàm præclara

(a) 3. Reg, 13, v. 2,

elara hæc primordia fuerant, quàm
heroici actus, quàm observans Nu-
minis religio!

At en! mobili levitate victus, om-
ne hoc tam gloriosè inceptum cor-
rupit opus; à falso propheta reductus
& seductus, contrà quàm vetuerat
DEUS, *comedit panem in domo ejus, &
bibit aquam*; quo facto prius omne
meritum ita obliteravit, ut *tradiderit
eum Dominus leoni, qui confregit eum,
& occidit in via.* (b)

Contrà verò ô quantam sibi lau-
dem, quàm immortale nomen sua in
servandis legibus firmitate promeruit
Eleazarus ille *unus de primoribus scri-
barum, qui atatis ac senectutis sua
eminentiam atque à puero optimæ con-
versationis actus recogitans, & glorio-
sam mortem magis quàm odibilem vitam
complectens, maluit voluntariè ad sup-
plicium ire, & duros corporis cruciatus
sustinere, quàm propter vitæ amorem
illicita admittere, & vel simulare, se*
car-

(b) 3, Reg. 13, v. 26.

carnem porcinam manducasse. Univer-
sa genti memoriam mortis suæ ad exem-
plum virtutis & fortitudinis derelin-
quens. (c)

Hæc & alia ejusmodi præcipuè
S. S. Martyrum aliorumque Christia-
næ legis Heroum exempla ad æmulan-
dam eorum constantiam nos fortiter
allicient, movebunt, & impellent.
Generosa ejusmodi facta, si fideli me-
moria crebrius recolantur, etiam no-
bis eandem in bono stabilitatem per-
suadebunt. Id quod propria ipsius
experientia doceberis, si primo hoc
remedio usus diligenter fueris.

II. Alterum sanctæ hujus firmitatis
acquirendæ adjumentum est assidua
communicatio cum DEO præsertim
Eucharistico tum per vota, pro per-
severantiæ dono ei sæpius supplican-
do; tum per synaxin, eundem cor-
dis hospicio frequentiùs excipiendo.
Si enim *Elias in fortitudine cibi illius*
(qui tamen divini hujus alimenti fo-

II.
Assidua
communi-
catio cum
Numine
Euchari-
stico.

Pars III.

E e

lùm

lùm figura fuit) *quadraginta diebus & quadraginta noctibus ambulavit usque ad montem DEI Horeb;* (d) quanto magis hic panis fortium nobis robur & vires addet, queis animati, impigro molimine in perfectionis culmen eluctemur?

Et verò addet, ne dubitemus, & quidem vires non minùs uberes quàm efficaces addet. Ad præsentiam divinæ hujus Arcæ instabiles Jordanis aquæ mobilem cursum sistent, & muri firmitatem fluido nisu æmulabuntur. Eucharisticum ejusmodi cultorem nec indolis volubilitas, nec tentationum torrens, nec cupiditatum rapiditas à sacro proposito dimovebunt. *Stabit firmus super custodiam suam, & figet gradum super munitionem suam.* (e) Etiam ille cum regio Vate generosa voce exclamabit: *omnia possum in eo, què me confortat.* (f)

Et revera cœlesti hoc nutrimento munitus, poterit vincere illam virtutis

(d) 3. Reg. 19. v. 8. (e) Habacuc 2. v. 1.
(f) Phil. 4. v. 13.

tis solidæ arduitate: poterit superare illa amoris proprii blandimenta: poterit effugere illas mundi pedicas tartarique fraudes, ad quas velut ad scopulos allisa mentis constantia hætenus naufraga perire consuevit. Perseverantia & fortitudo geminæ illi comites in via probitatis erunt, quæ ipsum usque ad æternitatis portum felici omine comitabuntur. Ex his autem adminiculi hujus efficacia luculenter elucet.

III. Tertium remedium consistit in providentia quadam spiritali, qua partim sagaciter provideamus, quid nos in exercitio piarum actionum instabiles reddere possit, aut soleat; partim sollicitè curemus, ut animum contra ejusmodi obstacula & levitatis illicia fortiter obarmemus. Duo autem præcipuè sunt, quæ nostram in DEI famulatu perseverantiam difficilem reddere amant, nempe 1. *arduitas* operis, quod explere oportet; 2. *diuturnitas* temporis, per quod illud continuare necesse est.

III.
Difficultatum pro-
visio &
contemptus.

Prior hostis debellatur acri quadam magnanimitate, qua reluctanti naturæ vim inferendo omnes actionis molestias generosi spernamus; eamque eò audaciores aggrediamur, quò pluribus illa aculeis hirsuta riget. Nam inimicum hunc audacter impetiisse, vicisse: opus ejusmodi animosè incepisse, finiisse: obstacula hæc fortiter contempsisse, complanasse erit.

Proin præcipitata omni timida deliberatione ejusmodi negotium ocyus magno cum ausu auspicemur; atque Samsonem æmulando, hunc *catulum leonis*, qui ficto rugitu timidos terret, mento apprehensum prosternere, dilacerare, & quasi hædum in frustra discerpere studeamus. Id si egerimus, etiam nobis *de comedente exhibit cibus*, ac *de forti egredietur dulcedo*; (g) illudque promptum & facile reperiemus, quod prius factu arduum nimis, ac impossibile videbatur.

Alte-

(g) Judic. 14. v. 5. & 6.

Alterum constantiæ obstaculum, nempe enatum ex apprehensa temporis *duturnitate* tædium, ortumque inde virtutis fastidium, hoc, inquam, impedimentum expeditius superari nequit, quàm sequentibus industriis. Inprimis necesse est, ut teipsum piè decipiendo, actionem illam solummodo ad unum vel alterum diem aut horam continuare decernas, & à futuro tempore mentem abstrahas. Magno levamini rerum peritis hæc solertia est.

Dein compara hanc, quæ adeò te exanimat, temporis longinquitatem cum illa præmii, quæ te expectat, perennitate; & omnis etiam longissima annorum periodus instar bullæ evanescet. Præterea quis certum te reddidit, ævum tuum ad canam senectutem productum iri? Forsitan mors vitæ tuæ filo minaci falce jam jam imminet. Fortè paucos intra menses flebile funus eris. Ergo residuos saltem eosque tam breves & paucos dies virtuti consecra.

Quodsi etiam quàm diutissimè adhuc te vivere contingeret, an non meretur DEUS, ut omnem, quem respiras, halitum ejusdem servitio dedices? O Superi! dum sacro fonte abluebamur, solemni authoramento nos per paternos obstrinximus, supremo omnium Domino, quoad vita superstes fuerit, fidelem nos famulatum exhibituros. Quin illo ipso temporis puncto, quo mentis usum adepti sumus, debitum Numini homagium per amoris actum præstare debueramus.

Et en! prò dolor! vix rationis compotes peccare noveramus, cum mox optimi heri rebelles servi jugum excussimus, & æquè turpi quàm nefaria desertione eodem ferè momento nocentes, quo rationales effecti sumus; atque postea nobiliorem ætatis florem nonnisi eidem offendendo impendimus.

An non igitur æquum est, ut ad restituendam, vel reparandam tot annorum

norum malè perditorum intercapedinem saltem quod ex iis reliquum est, ex integro devoveamus illi, cui totum, quantum est, vitæ nostræ spatium tot titulis ex assè debetur. Cùmque ille omni ea, quæ præcessit, æternitate nos dilexerit, nec citiùs se quàm nos amare inceperit; ac insuper omni ea, quæ subsequetur, perpetuitate æterno amore complexurus sit; an non brutæ ingratitude portentum foret, perfectiori ejusdem cultui modicum hoc, quo à morte distamus, temporis intervallum negare?

Exinde concludere fas est, quàm labili fundamento nitatur illud, quod à temporis diuturnitate mutuatur, ter-
 riculamentum; & quo nihilominus
 tot timidæ mentes à sectanda virtute
 solida phantastico terrore absterreri
 se sinunt. Proin huic capiti finem
 impono illis S. Cypriani verbis: *hor-*
tamur vos per communem fidem, ut glo-
riam vestram fortè & perseveranti vir-
tute teneatis; (h) & nec operis ar-
duitate, nec temporis diuturnitate à per-

fectionis semita vos abduci sinatis ;
utque allatis hisce tribus remediis sta-
biliter utendo , ab inconstantiæ labe
vos immunes servetis.

CONCLUSIO
TERTIÆ PARTIS,

*Ubi ostenditur , eandem via unitiva
congruere.*

TAndem aspirante divino Fla-
mine laboris portum ac unà
via *unitiva* terminum atti-
gimus , qui consistit in in-
tima conjunctione cum DEO , quæ
summa animæ beatitudo est. Quàm
aptè enim tertia hæc pars humanam
mentem cum ultimo Fine suo con-
nectat , ipsa capitum argumenta abun-
de loquuntur. Nam per fidem dulci
vinculo jungimur primæ omnium
Veritati , per spem potentissimæ Fi-
delitati , per charitatem amabilissimæ
Bonitati , per desiderium cœli per-
fectissimæ Felicitati , per jugem deni-
que

que in bono perseverantiam huic supernæ unioni beata coronis imponitur. Ex his patet, quàm congruo nexu hæctenus disputata tertiæ huic semitæ respondeant.

Quòd enim capite 2. de timore malorum à tepidis incurrendorum mentio ingeratur, id eidem adeò non obest, ut potiùs summè conducat. Nam mortis inquires, iudicii rigor, pœnæ acerbitas non ita viæ solùm purgativæ propria sunt, ut anima per sublimiorem statum gradiens, non etiam possit horum metu incitari ad quærendam perfectionem excelsiori ejusmodi calli congruentem. cùm ipse S. P. N. Ignatius experientissimus ille asceseos Magister in secunda exercitiorum hebdomade nobis ejusmodi themata tanquam incitamenta adducat, ad sanam electionem faciendam.

Ita sanctitatis cupide Lector, per tres hujus operis partes tanquam per totidem vitæ spiritualis gradus constan-

ti pede ita progredere, ut amotis virtutis solidæ IMPEDIMENTIS, adhibitis ejus solidandæ SUBSIDIIS, ac perpensis sedulò illius sectandæ INCITAMENTIS, tandem votorum compos per morum probitatem, probitatisque soliditatem æternum uniaris illi, qui triplicis hujus viæ terminus, mei laboris scopus, ac omnium finis ultimus est.

FINIS

TERTIÆ PARTIS.



IN.